

est tantum veniale: v. gr. Plebejus putat se teneri sub mortali adesse Vesperis diebus Dominicis, & Festis, aut se non posse bibere ad refrigerationem in die jejuni: Religiosus, aut Monialis credit se sub mortali adstringi silentio, aut jejunio regulati: uxor reputat plura mortalia in usu matrimonii, quae sunt tantum venialia: in his, inquam, & similibus Confessarius debet monere Penitentem; quia, ut dictum est, tantquam Doctor debet illum instruere, & tanquam Medicus praecavere ejus peccata formalia, maxime cum non sequatur inconvenientis, quod praeponderet inconvenienti, quod sequitur, si non moneatur. Quod enim inde Penitens forte facillius, & frequentius peccet venialiter, est longe minus inconvenientis, quam si senel tantum peccet mortaliter ex Conscientia erronea.

Casus singularis.

Muller ex odio non vult accedere ad virum, quem invincibiliter credit esse suum, licet revera non sit, & quam non expedit monere de nullitate matrimonii. Quid aget cum illa Confessarius? R. Nec potest, nec debet illi jubere, aut suadere petitionem debiti; quia quoad hoc est sui juris, & aliunde est peccatum materiale, quod solum sine urgentissima causa suaderi non potest. Sed potest, & debet illi suadere, imo & praecipere redditionem debiti; quia si non reddat, peccat formaliter; si reddat, peccat tantum materialiter. E duobus autem malis, minus est eligendum.

ARTICULUS V.

De Conscientia scrupulosa, per varias Quaestiones.

Quaeritur 1. Quid sit scrupulus? Quid Conscientia scrupulosa? R. Scrupulus dicitur metaphorice a scrupo, qui est lapillus asper subintrans calcem incidentis, ipsum non tam laedens, quam molestans, gressumque remorans. Unde scrupulus nihil est aliud, quam levis, & fundans quaedam ratiuncula occurrens de malitia actionis, cujus solutio non invenitur, & inde animus, vel opinatur, vel suspicatur, vel dubitat, vel timet cum anxietate, ne mala sit actio. Potest esse, vel de praeterito, ut si quis ex futuri ratione timeat, ne aliquod peccatum, aut circumstantiam omiserit in Confessione, ne tentationi consenserit, &c. vel de praesenti aut futuro, ut si quis ex simili motivo timeat, ne id, quod facit, aut facturus est, sit peccatum.

Duplex distingui potest Conscientia scrupulosa, ut jam dixi art. 1. Una ex scrupulis formata; & est dictamen rationis practicae, quo quis propter leves, & inanes rationes judicat id, quod agit, esse illicitum, vel de eo dubitat. Haec Conscientia imprope dicitur scrupulosa, sed est, vel erronea, vel dubia, & de ea hic non agimus; quatenus enim pertinet ad errorem, dictum est in praecedentibus articulis; quatenus pertinet ad dubium, dicitur articulo sequenti. Altera est scrupulis agitata, & cruciata, dum scilicet quis judicat id, quod agit, esse licitum, levibus tamen de causis timet, & anxietur, ne sit illicitum. Unde, ut patet, quatenus scrupulosa non est propria Conscientia, sed umbra, & similitudo Conscientiae. Nominem igitur Conscientiae scrupulose intelligitur communiter, vel ipse scrupulus, qui est quasi dictamen intellectus scrupulosi, vel ipsa anxietas causata ex scrupulis, vel dispositio animae propense ad scrupulos. De conscientia scrupulosa sic sumpta intelligenda sunt sequentia.

Quaeritur 2. quibus indicis possit cognosci Conscientia scrupulosa? R. His potissimum; 1. Si reputat peccata, quae passim a sapientibus, & timoratis pro nihilo habentur, aut circa ea saepe dubitat, & alios interrogat. 2. Si viro prudenti, & docto, v. gr. Praelato, aut Confessario, actionem esse licitam asserenti, aut fidem non habet, aut cum anxio timore morem gerit, iterum atque iterum eundem aut alios consultans, ne nihil fidens, & maximam semper querens securitatem. 3. Si in Confessione peragenda ita admissum peccata explicat, ut nullam circumstantiam, etsi leviem, aut levissimam, imo quandoque impertinentem, omittat, idem saepe repetens, & inculeans, nec Confessario momenti sufficere acquiescens, aut circa Confessiones morali diligentia factas nunquam quiescit, easdem saepe ex toto, vel ex parte repetens. 4. Si preces praecipuas, sive Breviarum, sive Penitentiae, sive voti, sive in celebratione Missae, fastidiosa tarditate recitat, eas frequentius repetens, & subsistens, ut intentionem, & attentionem revocet. Praeter haec potest, & debet ipse scrupulosus ex scrupulosum agnoscere, & talem se gerere, potissimum ex testimonio sui Confessarii, aut alterius viri probi, & docti, cui perspecta est ejus Conscientia, judicantis ipsum esse scrupulosum.

Ex his colliges, 1. multum aberrare vulgus, dum vocat scrupulosos eos, qui Conscientiae munditiae prudenter invigi-

lantes malorum exempla sequi detrectant; & rationabilem curam in omnibus adhibent, ne vel in minimis Deum offendant. Hi dicendi sunt timorati, non scrupulosi. 2. Neque scrupulosi annumerandos esse eos, qui, a licentiori via tandem respicientes, aliquandiu anxiantur circa Confessiones praeteritas. Haec namque anxietas est rationalis, necessarioque adhibenda est prudens sollicitudo ad excutiendam, & mundandam Conscientiam, quae tam longa peccandi consuetudine fuit irretita. 3. Contingere quosdam in certis materiis esse scrupulosos, v. gr. in horis legendis, & nimium laxos in aliis materiis. Hi non possunt uti remediis, & regulis infra ponendis, nisi in materia, in qua sunt scrupulosi.

Quaeritur 3. utrum liceat agere contra Conscientiam scrupulosam? R. Non solum licet, sed & expedit, imo obligatorium est agere contra Conscientiam scrupulosam, quam diximus scrupulis vexatam. Ratio 1. partis est: quia Conscientia hujusmodi scrupulosa non est, ut dixi, vera Conscientia, sed umbra Conscientiae, nec iudicium, sed quaedam anxietas, & timor male fundatus, seu imaginatio fortis, qua homo miseretur vexatur. Ratio 2. & 3. partis est: quia Conscientia scrupulosa est quaedam animi aegritudo, pacem turbans, devotionem tollens, aecidiam gignens, & maxima remora in progressu vitae spiritualis, imo dispositio ad gravissima peccata desperatioris, blasphemiae, & infidelitatis. Cavendum tamen, ne scrupulosus, vi scrupulorum victus, revera practice judicet se male agere, aut de eo practice dubitet; tunc enim foret Conscientia dubia, aut erronea, contra quam non licet agere. Sed non est facile credendum scrupuloso asserenti se egisse cum dubio; ordinari enim sumit dubium pro anxietate, aut formidine, seu pro dubio speculativo, quod non est Conscientia.

Dices: Scrupulosus non potest agere contra Conscientiam scrupulosam, nisi credat suum scrupulum, seu anxietatem esse irrationabilem, & male fundatam; atqui id non potest credere: ergo. Prob. Min. Si crederet suam anxietatem irrationabilem, hoc ipso non anxietaretur; quia non anxietaretur, nisi quia credit suam anxietatem esse rationabilem, & fundatam. R. N. Min. Ad Probat. D. Ant. Si crederet ex principiis directis, & intrinsecis suam anxietatem esse irrationabilem, hoc ipso non anxietaretur. C. Si crederet ex principiis reflexis, & extrinsecis, N. Potest ergo scrupulosus cognoscere se esse scrupulosum, & suas anxietates esse irrationabiles, ex indicis supra assignatis: sed quia scrupulum, & anxietatem non cognoscit irrationabilem ex propriis, & intrinsecis, ideo adhuc angitur, & trepidat timore, ubi non est timor.

Quaeritur 4. quae sint praecipuae causae scrupulorum? R. Quasdam esse intrinsecas, quasdam extrinsecas. Intrinsecae sunt; 1. complexio naturalis suspicans, & meticulosa, qualis est plerumque melancholica; 2. imbecillitas, & inconstantia animi non inhaerentis firmiter rebus semel determinatis, aut principiis practicis sufficienter notis; ex quo capite mulieres sunt frequentius scrupulose, quam viri; 3. ignorantia, qua quis non potest inter licitum, & illicitum, tentationem, & consensum discernere: vel talis ingenii subtilitas, quae sit sufficiens ad excogitandas rationes dubitandi, & insufficiens ad eas solvendas; 4. ocula superbia, qua quis nimium suo iudicio fidens nullius consilio vult acquiescere; 5. nimia austeritas, quibus, debilitato capite, facile turbatur animus. Causae extrinsecae praecipuae sunt; 1. Societas scrupulosorum, directio Confessarii scrupulosi, aut lectio casuum Conscientiae in eo, qui est minus intelligens ad discernendum; 2. Daemon, qui hac arte tentat avertere homines ab exercitio virtutum; 3. ipse Deus ita permittens, vel in poenam peccatorum praeteritorum, vel ad exercitium humilitatis, & patientiae, vel ad reporem in suo servitio excutiendum, vel ob alios fines sibi notos.

Quaeritur 5. quibus remediis curandi sint scrupulosi? R. 1. generaliter loquendo, causae scrupulorum amovenda sunt per suum contrarium; contraria enim contrariis curantur. Hinc melancholicus ope Medici sanatur. Meticulosus frequentium meditatione contempletur bonitatem Dei, eumque apprehendat, non ut Magistrum durum, aut Exactorum immittem, sed ut bonum Patrem. Superbus suae prudentiae non innitatur, & sic de ceteris. 2. Frequenti, & humili oratione ad Deum, afflictorum Consolatorem, recurat, animi sui molestias cum patientia, & submissa resignatione offert in satisfactionem peccatorum, illalem interim fiduciam concipiendi auxilium aliquando obtinendi, & rediturae post tempestatem tranquillitatis. 3. Vitam, & sensum communem timoratum pro regula habeat, pro certo tenens Deum non permittere hos communiter errare. 4. Caveat otium, & vagas cogitationes, praesertim de actis vitae praeteritae, quae scrupulis janua aperiant, sed labori sedulo incumbat, eoque maxime, qui plus animum juvat, & delectat, modo nihil habeat mali. 6. At remedium, communi iudicio apprime necessarium, & forte unicum, sanando scrup-

puloso, est caeca, & absoluta obedientia dictis, consiliis, praecceptis viri prudentis, & sapientis, cui perspecta est ejus Conscientia, puta Confessarii, aut Directoris.

Quaeritur 6. quomodo Confessarius gerere se debeat cum scrupuloso? R. 1. ubi Confessarius prehenderit suum penitentem esse scrupulosum (id autem cognoscere poterit ex indicibus assignatis) moneat ipsum, quod sit scrupulosus, & secundum regulas scrupulorum curandus, ne forte contemnendo scrupulos ipsam Conscientiam contemnat.

2. Inculcet ipsi necessitatem obedientiae caecae, & absolute omnibus dictis, & praecceptis sui Confessarii, contempto proprio iudicio, & neglectis scrupulis; quam obedientiam si non sit animo dispositus praestare, aut ad eam conari, dimittendus est tanquam insanabilis, cum, ut dixi, vix alio remedio possit sanari. Ut autem hanc omnimodam, & caecam obedientiam suadeat, ipsi proponat, 1. Quod scrupulosus, cum habeat iudicium turbatum, & imaginationem laesam, non possit proprio iudicio regi, illique praeter ceteris ideo dicitur sit: *Ne inilitaris prudentiae tuae, cum sis sapiens apud te ipsum.* 2. Quod sit superbi animi, atque contra regulas prudentiae, & humilitatis, praeferre suum iudicium, praesertim sic turbatum, iudicio Directoris. 3. Quod, etsi erret Director, ipse scrupulosus non peccabit, obediendo juxta unanimum SS. & Magistrorum spiritualium Doctrinam; quia faciet, quod tutius est, & quod Deus ab eo exigit.

3. Ipsum doceat, leges positivas, sive divinas, sive humanas non obligare cum gravi dispendio, & magna difficultate, quae dicitur impotentia moralis; magna autem anxietas, & molestia est magna difficultas. Hinc scrupulosum, qui continuo angitur in recitatione horarum, semperque timet, ne aliquid omiserit, aut voluntarie fuerit distractus, prohibeat repetere; imo, si esset ita scrupulosus, ut vix foret finis repetendi, indeque graves, & continuas molestias pateretur, omnino foret ipsi interdicienda Breviarum recitatio tanquam moraliter impossibilis.

4. Jubet ipsum nihil, sive actum, sive agendum, reputare mortale, nisi quod ipso certo constet esse mortale, & ita certo, ut possit jurare esse mortale; quia in dubio, ut fert regula Juris, *ex communi consuetudine est prudens praesumptio.* Cum ergo scrupulosus solet dubitare, aut imaginari esse peccata, aut esse mortalia, quae non sunt, jure praesumitur in dubio non esse talia. Aliunde, cum de evidentissimis dubitet, & ibi suspicatur malum, ubi nec est umbra mali, foret onus intolerabile, si deberet habere praeterea pro peccato, quod ipsi sub dubio cadit. Hinc hoc ipso quo scrupulosus, qui nunquam aut raro committit peccatum mortale, & est animo dispositus, aut mallet mori, jubet illud committere, dubitat, aut consenserit tentationi, iudicare debet se non consensisse, nec suum dubium confiteri, tum propter rationem dictam, cum quia, quae ordinaria, & habitualiter odio habuerunt, vix possunt amari absque perfecta advertentia. Item sequitur, quod, dum vult agere, non debeat immorari exitum rei facienda, sed si primo intuitu non appareat illicita, certo credat licitam, & agat. Quod si forte, quod rarum est, contingat esse illicitam, excusabitur a peccato formali, ratione ignorantiae invincibilis; quia non potuit moraliter plus facere, ut cognosceret esse illicitam.

5. Quando scrupulosus anxius est circa Confessiones praeteritas, an sufficienter fuerit contritus, an omnia peccata, & omnes circumstantias confessus fuerit, nunquam permittat illi eas repetere, nisi haec duo simul concurrant: 1. quod certus sit, esse mortalia: 2. quod pariter certus sit, non fuisse debite confessus. Similiter non permittat peccata praesentia dubia confiteri, sed tantum certa, & simpliciter cum circumstantiis absolute necessariis, ipsumque moneat, ne insitutum examen anxium, & omnino exactum, sed mediocre tantum: & quando non habet nisi peccata dubia, jubet inauditum celebrare, seu ad Sacram Sinaxim accedere. Ratio horum est; quia Lex positiva de integritate materialis Confessionis non obligat cum gravi dispendio, ut dicebamus supra de Legibus positivis in communi. Grave autem foret dispendium, & damnus scrupulosi, si omnia dubia, sive praesentia sive praeterita, deberet confiteri; nullus foret scrupulorum finis, sed inde magis multiplicarentur, & implicarentur, sicque foret anxietas perpetua, & cruciatus intolerabilis; unde, si quaedam peccata omittat, id ipsi non imputatur.

Tandem pro coronide meminerit Confessarius, in suis resolutionibus non vacillare, quasi dubitans, aut opinans tantum; sed certo definit, & praecipiat, alioquin non sedabitur anxietas, sed magis augebitur. Insuper cum Meticulosis in spiritu lenitatis procedat; cum superbis duriuscule, non tamen in desperationem adigat, sed oleum cum vino miscat.

Caveat autem ipse scrupulosus plures seorsim consulere, nunc unum, nunc alterum; cum enim diversorum sint saepe *Theol. Billuart. Pars. Secunda.*

diversae opiniones, & forte ipse scrupulosus in exponendis pluribus scrupulis variabit, consiliorum varietas plus illi nocebit, quam proderit; sed si rei gravitas requirat plurium sententiam, consulantur simili, & non seorsim.

Quaeritur 7. Quomodo sit respondendum objectionibus scrupulorum? Ut enim consiliis, & praecceptis Confessariorum se subducant scrupulosi, dicunt, 1. Quod Confessarius non satis omnia intellexerit. 2. Quod ipsi se melius agnoscant, quam quisvis alius. 3. Si essem in periculo mortis, nollem sic agere, & in eo statu mori. 4. In dubiis partem tutiorem esse eligendam, & certum incerto praepotendum. Ad 1. respondendum, quod vir prudens non agat caecum, & inconsultum; & quod, si non intellexerit sufficienter Confessarius, hoc vel illud non praecipiat. Insuper dato, quod erret Confessarius, nunquam scrupuloso Confessarii mandatis humiliter obsequenti Deus imputabit errorem. Ad 2. responde, scrupulosorum conscientiam, qua parte sunt scrupulosi, debilem esse, & erroneam, adeoque ipsius iudicio non standum, juxta illud Proverb. *Ne imitaris prudentiae tuae.* Ad 3. responde, quod scrupulosi multa facerent in articulo mortis, quae non sunt necessaria, sed inutilia; vel certe quod acquiescerent consilio viri prudentis. Ad 4. responde, non debere scrupulosos remanere dubium, ubi accedit auctoritas, & mandatum Confessarii in una parte; ideoque eos habere debere certum, & tutum, quod ipsis suadet, aut praecipit.

ARTICULUS VI.

De Conscientia dubia, & probabili, seu opinativa.

§. I. Praevotanda.

Dubitare non est iudicare, seu assentiri, sed suspendere omnino iudicium, seu assensum, & haerere fluctans inter utraque partem contradictionis. Opinari est iudicare, seu assentiri uni parti, sed cum formidine partis oppositae. Nota 1. Triplex distinguitur dubium, speculativum, speculative-practicum, & practice-practicum. Dubium mere speculativum est illud, quod versatur circa naturam, substantiam, valorem, qualitatem, conditiones rerum, sive speculabilia, sive moralia: ut si dubites, an natura Angelica sit universalis, an Baptisma colatum in aqua rosacea sit validum, an talis conditio sit requisita ad validitatem hujus contractus, an sint testamentum sit validum, an potus iste sit venenatus, an sint latrones in sylva, an homo, vel fera lateat in domo, & similia. Dubium speculative-practicum est illud, quod versatur circa bonitatem, vel malitiam, licitatem, vel illicitam actus secundum se, & in communi, quae bonitas, aut malitia dicitur objectiva, & materialis, ut dictum est supra: ut si dubites, an sit licitum secundum se iter agere die festo, conferre Baptisma in aqua rosacea, iniire contractum triplicem, &c. Dubium practice-practicum est illud, quod versatur circa bonitatem, vel malitiam, licitatem, vel illicitam actus hic, & nunc ponendi attentis omnibus circumstantiis, quae dicitur bonitas, vel malitia formalis: ut si dubites, an tibi sit licitum hic, & nunc conferre Baptisma in aqua rosacea infanti morienti; iniire hic, & nunc contractum triplicem, &c.

Quod dixi de dubio, dicendum est de iudicio, scilicet esse triplex, mere speculativum de natura, aut qualitate rerum, speculative-practicum de bonitate, vel malitia objectiva actionum, & practice-practicum de bonitate, vel malitia formali actionum. Ut dubium, seu iudicium, quod dicitur speculative-practicum; sit tale, debet respicere actionem secundum se quidem, sed tamen ut exercendam, seu in ordine ad praxim, & in eam influere, quatenus ex illo formatur dubium, seu iudicium practice-practicum. Sic, si ex hoc, quod dubitem, aut iudicem probabilius esse illicitum iter agere die festo, concludam practice michi hic & nunc hoc die festo esse licitum iter agere, prius dubium, aut iudicium est speculative-practicum; quia ex illo formo iudicium practice-practicum. Sed, si superveniat superior mihi praecipiens hic & nunc die festo iter agere, & inde practice concludam michi esse licitum hic & nunc iter agere, prius dubium, aut iudicium non remanet michi speculative-practicum, sed pure speculativum; quia non influit in iudicium practice-practicum, sed aliud, quod illi succedit, hoc nempe, licitum est michi obedire superiori, quando id, quod praecipit, non est certo contra Deum. In solo dubio, aut iudicio practice-practice consistit conscientia dubia, vel probabilis. Attamen dubium aut iudicium speculative-practice dicitur a quibusdam etiam conscientia, non simpliciter, sed cum addito, scilicet conscientia speculative dubia, conscientia speculative probabilis. Confer, quae dixi art. 1. sub fine.

Nota 2. Dubium iterum distingui in negativum, & positivum. Negativum est, cum nulla suat, aut admodum leves, rationes pro, aut contra; & ut jam notavi, est improprie dubium, &

& melius dicitur nescientia, aut ignorantia. Unde errant, qui hoc solum dubium ut proprie dubium agnoscunt. Dubium positivum est, quando propter rationes contrarias, utrimque æquè vel ferè æquè probabiles fluctuat inter utramque partem suspensus animus, neutri assentiens. Item aliud est dubium Juris, ut quando quis dubitat de lege, v. gr. an sit lex excommunicans percussantes Clericum. Aliud dubium facti, ut si dubitet, an is, quem percussit, sit Clericus. Ex dubio facti quandoque sequitur dubium Juris, ut, qui sciens esse excommunicationem latam in percussantes Clericum, sed dubitans an is, quem percussit, sit Clericus, inde dubitat, an teneatur se gerere ut excommunicatum.

Nota 3. Certitudo, quæ opponitur dubio, triplex distingui potest: Metaphysica, Physica, & Moralis. Certitudo metaphysica est adhæssio mentis veritati, quæ etiam per Deum aliter esse non potest, ut totum est majus sua parte: quodlibet est, vel non est. Certitudo physica est assensus veritati, quæ secundum leges ordinarias aliter esse non potest, licet possit esse aliter per miraculum, ut stupam injectam in ignem comburi. Certitudo moralis est assensus veritati alicui sine formidine fundata, & rationabili de opposito, licet oppositum absolutè, & sine miraculo esse possit, qualis est ea, quæ habetur in Jure per duos testes fide dignos, aut quæ habetur de Baptismo alicujus ex Regesto Baptismali; quia, licet possit contingere, quod duo testes, qui habentur fide digni, falsum deponant, & quod Parochus falsum scripserit, id tamen raro accidit, & est periculum remotum, quod prudenter timeri non debet: alias non esset dubiorum finis.

§. II. *Utrum liceat agere cum conscientia dubia, probabilis, aut probabiliori?*

Dico 1. Numquam est licitum agere cum conscientia dubia probabilis, aut probabiliori, propriè sumpta, scilicet pro dubio, aut judicio probabilis, vel probabiliori practice-practico de bonitate, vel malitia formali actionis; sed sola conscientia certa moraliter est regula actionum nostrarum. Est certa, & communis, etiam apud Probabilistas. Prob. 1. Quod fit ex conscientia dubia, probabilis, aut probabiliori de honestate formali actus, non est ex fide, hoc est ex persuasione quod sit honestum, & licitum: ergo est peccatum, secundum Apost. Rom. 4. supra laudatum. Patet Ant. Quia, qui dubitat, aut tantum probabiliter, seu probabilius judicat alicui esse licitum formaliter, non habet persuasionem, quod sit tale, sed timet oppositum.

2. Qui agit cum conscientia dubia, aut tantum probabilis, & probabiliori, non agit prudenter: ergo peccat. Prob. Ant. Ut quis agit prudenter nullam habere debet formidinem rationabilem, & fundatam de inhonestate formali sui actus; actus enim prudentiæ est semper practicè verus, & moraliter certus; atqui, qui agit cum conscientia dubia, aut tantum probabilis, & probabiliori, de honestate formali sui actus, habet formidinem rationabilem, & fundatam de inhonestate formali sui actus; quia istæ conscientie non exeunt finibus probabilitatis, seu opinionis, de cuius ratione est, quod sit cum formidine rationabili, & fundata de opposito; & alioquin si non esset formidino rationabilis, & fundata, jam esset certitudo moralis. Confirmatur: Qui sumit potum, de quo dubitat, an sit venenatus, aut quem probabiliter, & probabilius tantum credit non esse venenatum, dum habet alium certò non venenatum, imprudenter agit: ergo similiter.

3. Qui se exponit periculo proximo peccandi formaliter, & offendendi Deum, hoc ipso peccat, & Deum offendit; quia in moralibus se exponere periculo proximo faciendi, & facere idem sunt, juxta illud Eccli. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*; atqui, qui agit cum conscientia practicè dubia, probabilis, aut probabiliori de honestate formali actionis suæ, se exponit periculo proximo peccandi formaliter, & offendendi Deum; quia facit id, quod rationabiliter suspicatur offendere Deum: ergo. Confirmatur 1. Qui faceret id, quod rationabiliter suspicatur offendere amicum, ipsum hoc ipso offenderet, & ejus amicitiam contemneret: ergo a pari. Confirmatur 2. Qui facit, quod rationabiliter suspicatur esse peccatum, vult virtualiter, & interpretativè peccatum; atqui, qui agit, &c. ergo. 4. Tandem conscientia est Regula immediata actionum nostrarum; atqui regula debet esse certa, & infallibilis, sãtẽm moraliter; alias non proponeretur ut regula, sed foret regulanda: ergo.

Dices 1. Qui facit totum, quod moraliter in se est, ut vitet peccatum, non peccat; atqui, qui judicat probabilius practicè id, quod agit, non esse peccatum, facit totum, quod in se est moraliter, ut vitet peccatum: ergo. R. N. Min. Supposito enim judicio probabiliori de honestate objectiva suæ actionis, potest per judicium reflexum judicare certò moraliter id, quod agit, non esse peccatum. Quod si id non posset, deberet abstinere ab actione.

Inst. 1. Certitudo moralis non potest moraliter loquendo haberi in omnibus: ergo. R. D. Ant. Certitudo moralis non potest, moraliter loquendo, haberi in omnibus, ubi agitur de vitando peccato materiali, C. Ubi agitur de vitando peccato formali, N. Vel enim judicat probabilius (quod possibile est) de honestate objectiva suæ actionis, & ex hoc probabiliori judicio potest reflexè sibi formare moraliter certum de honestate formali; vel dubitat dubio insuperabili, & tunc abstinere ab actione, ut distum est.

Inst. 2. Saltẽm, qui tenent licitum esse agere cum conscientia probabilis, aut probabiliori, non peccant sic agendo: ergo. Prob. Ant. Bona fide, & invincibiliter existant id sibi licere: ergo. R. N. Ant. ad probat. N. Ant. Nemo enim potest bona fide, & invincibiliter existimare sibi esse licitum, quod rationabiliter suspicatur offendere Deum, ut patet ex dictis.

Dices 2. Qui se exponit periculo vulneris, non ideò vulneratur: ergo, qui se exponit periculo peccandi, non ideò peccat. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd velle periculum vulneris non sit vulnus, vulnus enim non incurritur per actum internum; at velle proximum periculum peccati formalis est peccatum, quia est imprudenter agere, & Dei amicitiam contemneret.

Inst. 1. Multi probabiliter docent, licitum esse se exponere periculo proximo peccandi in gravi necessitate: ergo. R. dato Ant. N. Conseq. Quia nunquam est gravis necessitas agendi cum conscientia practicè dubia, aut tantum probabilis, & probabiliori; si enim non sit necessitas agendi, & non possit formare sibi conscientiam moraliter certam, abstinere ab actione; si sit necessitas agendi, ex ipsa necessitate potest sibi formare conscientiam moraliter certam de licitate formali suæ actionis; quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest.

Inst. 2. Scrupulosi sæpè agunt cum formidine peccati: ergo. R. D. Ant. Cum formidine speculativa, & contemnenda, C. Cum formidine practica, & rationabili, N.

Dixi in Conclusionè, quòd *sola conscientia moraliter certa sit regula actionum nostrarum*; quia in moralibus non potest semper haberi certitudo metaphysica, aut physica, sed sufficit moralis, quæ excludat omnem formidinem rationabilem de peccato. Ita S. Doctor in pluribus locis. *Certitudo*, 2. 2. q. 70. art. 20. o. *non est semper querenda in omni materia: In actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrationis, sed quod sint circa contingentia, & variabilia, & ideò sufficit probabilis certitudo, que ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.* Et 1. 2. q. 96. art. 1. ad 3. *Non est, inquit, eadem certitudo querenda in omnibus, ut in 1. Ethic. dicitur. Unde in rebus contingentibus, sit sit aliquid verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.*

Dices: Judicium practicè practicum, in quo reponimus conscientiam, non est demonstratio, sed opinio tantum; atqui omnis opinio est cum formidine de opposito: ergo non est certitudo moralis. R. N. Conseq. Quia, ut diximus, quamvis certitudo moralis excludat omnem formidinem rationabilem, & fundatam, admittit tamèn levem, infundatam, & irrationabilem. Et talem certitudinem habet illud judicium practicum, in quo reponimus conscientiam, quia formatur ex motivis moraliter certis, & est actus prudentiæ, quæ non nisi circa verum practicum versatur.

Si petas, utrum ista formido levis, & infundata debeat deponi ad licitè agendum? Quidam negant, ut scrupulosi; quia, licet tunc remaneat physicè, non tamèn remanet moraliter, quatenus, cum nulla illius ratio habeatur, non influit in opus. Paritas est in scrupulosis, qui sæpè presentiam physicam hujusmodi formidinis depellere non possunt, sed morale tantum, eam contemnendo, & tamèn licitè agunt. Et sic fortè conciliantur oppositæ sententiæ.


Dico 2. Qui agit cum conscientia dubia, probabilis, aut probabiliori, peccat ea specie, & gravitate peccati, de quo dubitat, aut quod formidat. Unde, si dubitet, an pejeret, an detrahat, aut illud formidet, peccat peccato perjuri, aut detractionis; si dubitet de peccato mortali, aut illud timeat, peccat mortaliter; quia vult interpretativè peccatum, cui se exponit. Patet amplius ex dictis art. 3. de Conscientia erronea.

Dico 3. Qui negativè dubitat dubio speculativo-practico de honestate, vel malitia objectiva suæ actionis, si post diligentem inquisitionem nullam, aut valde levem habeat rationem, quòd sit mala, potest, hoc dubio deposito, & contempto tanquam scrupulo, formare sibi conscientiam moraliter certam, quòd liceat, & agere. Prob. 1. Hoc dubium negativum, ut dixi supra, non est propriè dubium; sed potius nescientia, aut ig-

norantia: ergo, si post sufficientem inquisitionem nulla admodum levis occurrat ratio, quòd actio sit illicita, erit ignorantia invincibilis, quippe quæ humana diligentia vinci non potuit, siquæ excusabit a peccato formalis.

2. Dubium negativum de honestate alicujus actionis non est dubium prudens & rationale: ergo deponendum & contemnendum tanquam scrupulosus. Prob. Ant. Qui dubitat negativè de honestate objectiva sui actus, nullam aut valde levem habet rationem, quòd sit mala, alioquin dubitaret positivè; atqui, qui sine ratione aliqua probabiliter dubitat de honestate suæ actionis, non dubitat prudenter & rationaliter: ergo. Confirmatur; Obligatio agendi, vel non agendi, non præsumitur absquæ rationabili fundamento, alias in immensum aggravaretur jugum, & homines innumeris implicarentur obligationibus absquæ omni verisimilitudine: nec sic, cui incideret dubium negativum, an liceat spuerè, fricare barbam, levare festucam, alloqui amicum, inspicere campum, inire hunc contractum, legere, studere, &c. deberet herere, & ab his omnibus abstinere. E contra, si incidat illi dubium negativum, an bene egerit in hac vel illa occasione, an ritè fuerit confessus, an licitus sit contractus, quem inivit, &c. tenebitur omnia peccata sic negativè dubia confiteri, omnes confessiones negativè dubias iterare, omnes contractus rescindere, & innumera alia similia, quæ plane illum stultum proberent, & in desperationem inducerent. Hinc SS. Pontifex de Sentent. Excommunic. cap. 44. definit, Conjungit, quæ ex credulitate levi & temeraria, non probabilis & discretæ, dubitabat, an validum esset suum matrimonium, consequenter an posset exercere actum conjugalem, ad sui Pastoris consilium (Conscientia levis & temeraria creditatis explosa) licitè posse non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. De dubio itaque negativo idem censendum, ac de dubio scrupuloso.

Dico 4. Qui dubitat positivè dubio speculativo-practico propter æqualem aut ferè æqualem momentorum vim de honestate objectiva sui actus, si non possit prudenter dubium deponere, debet eligere, quod est tutius. Sic, si dubitis positivè, an talis contractus sit licitus, debes abstinere: si dubitas, an tenearis audire Missam, teneris audire, manente dubio. Ita fert celeberrima regula Juris: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Verum hanc momentosam assertionem & regulam, a Probabilistis acriter impugnantur, omnibus suis momentis infra munemus, &



DISSERTATIO VI.

DE OPINIONUM PROBABILITATE, ET DELECTU.

Resolvimus Dissert. præced. ex communi sententia, non esse licitum agere cum conscientia dubia, probabilis, aut probabiliori; sed solum conscientiam moraliter certam esse regulam actionum nostrarum. Nunc querimus, utrum in opinione, seu judicio speculativo practico, probabilis, aut probabiliori, de honestate objectiva & materiali actionis, possit fundari mediata, mediantibus scilicet principiis reflexis, Conscientia moraliter certa de honestate formali & subjectiva actionis; consequenter utrum liceat sequi opinionem probabilem, aut probabiliorẽ de honestate objectiva actus. Quid sit honestas objectiva & materialis, quid honestas formalis & subjectiva, dixi art. 1. præcedentis Dissert. Et hæc est controversia plus quam a sæculo in Scholis celeberrima, eoque graviore momenti, quòd per omnes Theologiæ partes excurrat. Ad cuius resolutionem tria potissimum inquirimus. 1. utrum sit licitum sequi opinionem minus probabilem faventem liberati, seu minus tutam, in concursu probabilioris faventis legi, seu tutoris. 2. utrum sit licitum sequi opinionem æquè probabilem, & minus tutam in concursu æquè probabilis & tutoris. 3. utrum sit licitum sequi opinionem probabiliorẽ minus tutam in concursu minus probabilis, sed tutoris. Deinde varias questiuunculas, eandem materiam spectantes, breviter resolvemus.

ARTICULUS I.

Utrum sit licitum sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, de honestate objectiva actionis, in concursu probabilioris & tutoris.

Opinio est assensus mentis in unam partem contradictionis cum formidine alterius. (1. p. q. 79. art. 9. ad 4.) Quatenus est assensus, differt a dubio, quod est suspensio intellectus inter utramque partem neutri assentiens; quod est bene notandum. Quatenus est cum formidine partis opposi-

ta, differt ab assensu certo fidei divinæ, & scientiæ. Probabile, secundum Etymologiam, est id, quod potest probari: secundum significationem, est id, quod est apparenter verum, seu verisimile. Unde opinio probabilis est mentis assensus uni parti propter motivum idoneum suadens ejus veritatem, fallibile tamèn, & ideò cum formidine partis oppositæ. Et hinc eo major, vel minor est probabilitas, quo motivum est magis, vel minus idoneum & grave. Motivum, seu fundamentum probabilitatis est duplex, intrinsecum & extrinsecum; & ideò duplex probabilitas, intrinseca & extrinseca. Fundamentum intrinsecum sunt rationes petite ex ipsius rei natura, proprietatibus, causis, effectibus, & etiam ex inconvenientibus partibus oppositæ. Fundamentum extrinsecum est auctoritas Doctorum, qui hanc opinionem tenent, aut tenuerunt; quæ tamèn auctoritas non movet, nisi quatenus præsumuntur isti Doctores hanc opinionem propter bonas rationes docere, aut docuisse. Unde probabilitas extrinseca magis æstimanda est ex doctorum merito & eruditione, atque ex studio & diligentia in re examinanda, quam ex eorum numero; possunt enim decem, vel plures Doctores tenere aliquam opinionem, quorum auctoritas non multò magis conferret ad ejus probabilitatem, quam auctoritas unius, quem fortè sine rei examine, ac discussione secuti sunt. Quapropter difficilè determinari potest, quot Doctores requirantur ad fundandam probabilitatem extrinsecam absolutam alicujus opinionis; quandoquæ enim sufficient quatuor, aut quinque; quandoquæ non sufficerent decem, nec plures, secundum scilicet quod sciuntur, aut præsumuntur plus vel minus pollere ingenio, eruditione & probitate, rem seriò & sedulo expendisse, esse partium liberos, nec singularium opinionum, atque novitarum præsertim amatores: Hoc unum certò scimus, non sufficere auctoritatem unius junioris & moderis Auctoris, ex hac proposita damnata ab Alex. VII. *Si liber sit alicujus junioris & moderis, debet opinio censeri probabilis, dum non constat reiectam esse a Sede Apostolica ut improbabilem.* Est 27.

in-

Petes, quomodo se gerere debeat, qui laborat Conscientia perplexa? Ille dicitur habere Conscientiam perplexam, qui, quam partem contradictionis eligat, putat se peccare: ut si quis curam infirmi gerens instatate tempore auditionis Sacri, putet se peccare, si deserat infirmum, aut omittat Sacrum.

R. 1. Certum est, quòd, si is cum Conscientia practicè perplexa agat, peccet; quia, quam partem eligat, agit contra Conscientiam: si enim audiat Sacrum, deserit infirmum, & hoc practicè judicat esse peccatum; si adsit infirmo, omittit Sacrum, & hoc pariter judicat practicè peccatum. Neque tamèn necessitatur absolute ad peccandum, quia potest formare judicium practice-practicum moraliter certum, quòd in hac extremitate non peccet eligendo, vel quod reputat minus malum, vel quod voluerit, si utrumque judicet æquale malum; cum tunc Lex cesset obligare pro ea parte, quam eligit; siquæ ejus error practicus non est invincibilis.

2. Si agat cum Conscientia speculativè perplexa & invincibiliter erronea, non peccat eligendo minus malum, quia respectu hujus minoris mali Lex cessat obligare, ut vitetur magis. Si apprehendat utrumque æqualitè malum, eligat quod libuerit, modo formet sibi Conscientiam, seu judicium practice-practicum, quòd sic agendo non peccet, ex hoc principio omnibus noto: Nemo peccat in eo, quod vitare non potest.